astronomo. Tamen secundū intentionem arestot. cor inter omēs ꝑtes generādas generat̄ primo et virtute eius omnia alia membra nascuntur addunt enim quidam ad istam particulaꝫ dicentes q̄ sol est radix tocius virtutis vitalis. Et tali operacioni quartus mensis ascribitur.

¶ Item philozophi ꝓpter illū textū ascribūt generationē hoīs dicētes. Homo generat hominē et sol vt dicit phūs scđo phicoꝝ quia a sole virtꝰ radicalis dependet. Contra si sic sequeretur q̄ hō deberet esse celestis et solaris creatura q̄r effectꝰ ab eodem denoīatiōꝫ sumit a quo hꝫ ētitatē Dicēdū q̄ sol est cā remota ideo nō sumit̄ denoīatio in effectu a sole ergo ꝛc̄.

Quinto t̄pe quedā exteriorū mēbrorū venus sua v̄tute ꝑficit. et q̄dā exteriora format scꝫ aures. nares os ꝛ virgā virilē in masculis. ꝛ pudibunda scꝫ vuluā mamillas ꝛ alia mēbra in femellis. manuuꝫ et pedum seperationē facit et etiam digitorum Et isti quintus mensis assignatur.

¶ Nota venus est beniuolus planeta ꝛ est v̄tualiter calidꝰ ideo ꝑficit mēbra exteriora. s. os aures et testiculos Sed videt̄ q̄ testiculi debeant p̄mo generari q̄r sunt principalia mēbra (sicut cor et caput) mediātibus quibus se natura ꝯtinue saluat Dicit̄ q̄ testiculi nō snnt ita p̄cipalia mēbra sicut cor et caput q̄r videmus testiculis ablatis ad huc viuere hominē. Sed capite absciso et corde ablato vlterius ibi nō esse vitam videmus

Sexto t̄pe influentia et regnatio mercurij instrumenta vocis format. supercilia cōponit. oculos fabricat. capillos crescere facit. et vngues producit.

Et isti operationi sextus mensis attribuitur.

¶ Nota q instrumenta vocis sunt nouem. vn⁹ Instrumenta sunt nouem guttur ligua pallatū. quattuor et dentes et duo labia simul.

Septimo tpe. luna opatione finē imponit repellit enim sua hūiditate angustias carnis et aurigenas carnis supficiem replet. venus vero et mercurius humiditatem tribuentes toti corpori nutrimentū dant Et isti opationi datus est septimus mensis.

¶ Item luna replet poros carnis et facit fetū esse planū in superficie scz in cute Item si aliquis homo vel puer nasceret in septimo mense ille moreretur qr nō esset adhuc debite formatus ⁊ cōsolitatus ergo ⁊c.

Postea influētia saturni cui octauus mensis ascribitur Et ille saturnus multū infrigidat et exsiccat Et p ɔsequēs cōstringit fetū Et ideo aliq astronomi ponūt fetū gnratū i octauo mēse moribūdū vl mortuū esse vt in sequētib⁹ manifestabit. Deinde in nono mense dñatur iuppiter qui sua caliditate et hūiditate fetū letificat Et fetus qui generat in isto mense est fortis et bn̄ disposit⁹ et longe vite et fortis gracia caloris. ⁊ lōge vite gr̄a humiditatis.

¶ Hic autor ponit vnuz notabile. si homo in aliquo membro deficiente vt pueri nascunt vel generātur cū quattuor digitis in manu vel cum tribus hoc est pter defectū materie. Similiter si generaretur cū sex vel septem digitis hoc esset ex habundantia materie.

Et aūt adhuc notandū q membra corporis

organici.xij.signis zodiaci attribuũt Primũ ergo signũ toci⁹ spere celestis.ē aries.in q̃ qdē signo sole exñte tēperato fit calidũ ⁊ hũidũ et tũc est mot⁹ ad gñrationē Et ido mot⁹ solis in ariete dr̄ ṗncipium vite et radix ṽtutis vitalis ꝑterea arieti attribuit caput in hoīe et eius ꝯditiões. Nã aries in celo est dignior ps celi.qꝛ est principiũ diuisiõis spere per xij.signa Sic caput ī hoīe vocaẗ dignior ps corporis.Et ido merito arieti assignãdũ ē Et qꝛ sol currēs in hoc signo calidū ⁊ humidũ nature mouet ⁊ ideo caput in homine diciẗ principiũ spũs vitalis.

Postq̃ autor oñdit influēciã planetaꝝ ⁊ stellaꝝ respectu fet⁹.nũc ꝯñter exequiẗ ad effectũ signoꝝ Nota aries ē calid⁹ ⁊ hũidus ⁊ correspõdet veri ver em̄ ē calid⁹ ⁊ hũidus ⁊ tũc aĩalia maxie appetũt coitũ ⁊ tũc augmẽtaẗ calidũ ⁊ humidũ gr̄a solis exñs in ariete. Et maxie in viris tũc est appetitus ꝓpt̄ hoc etiã mater eccl'ia statuit ieiuniũ mag⁹ in illo tp̄e q̃ in alio tp̄e ꝓpter luxuriã illo tp̄e restringēdã qꝛ tũc hoĩes ꝯstricti yeme reuertunẗ ad vigorē.vñ⁹. Marce.mares.februoq; canes.mayo mulieres. Nota aries hꝫ dñari sup caput in quo vigēt oēs potētie aĩe ꝓ tãto.qꝛ ip̄e aries est ṗncipiũ vitalis operatõis sic ⁊ caput in quo vigēt oēs potēcie aĩe. Et ido medici dicũt q̄ ṽtus vegetatĩa corpis est in capite ṗncipaliẗ ⁊ determiate Sꝫ in corde originaliẗ. Sꝫ dubiũ est vtrũ vita magis ꝯsistat in corde q̃ in capite Et videẗ q̄ in capite.ptꝫ ꝑ auicē.q̇ dt̄ q̄ vidit arietē ambulãtē corde extincto.hoc esse nõ p̄t nisi vita haberet ṗncipiũ de capite Sꝫ ꝯtra hoc est ip̄e Auerrois in.vi.phisi.q̇ ip̄m deridet dicēs sic se vidisse arietē currere hinc iñ absciso capite.vñ Auer.vult q̄ vita ṗncipaliter ⁊ origenaliẗ sit ī corde Sꝫ ex ꝯñti in capite Sꝫ medici sũt multũ sensuales. Et ido qꝛ vidēt in capite esse sensus ṽtutũ ideoqꝫ dicũt vitã ꝯsistere in capite ṗncipaliẗ sed nõ est ita.ymo in corde Sꝫ q̇d dicem⁹ ad autorē in lr̄a q̇ dt̄ q̄ caput ē nobilior ps corpis. Dõm q̄ hoc est verũ ſm apparentiã ⁊ maiorē operationē spirituũ vitaliũ qꝛ in eo apparēt magis opatiões vite q̃ in corde Vñ nõ dubito quin nã nobiliorē ⁊ meliorē ptē corpis collocauit in medio corpis. Nã cor est ṗmũ viuēs ⁊ vltimũ moriēs hoc nõ eēt ṗncipalissimũ mēbꝝ corpis.

Thauro q̄dē collū. humeri ꝛ scapule gemini attri
buunt̄ cācro man ꝰꝛ brachia. leoni quidē pectus ꝛ
cor: virgini stomachꝰ ꝛ intestina. Et hoc videt̄ esse
medietas corpis ſm cursuȝ medietatis celi vicȝ pte
septētrionali est annotata. libra vero scd̄am ptem
corpis respicit scȝ renes ꝛ est principiū ceterorū mē
brorū. Scorpio vero loca libidinis respicit tam ex
pte viri q̄ꝫ ex parte mulieris. Sagittarius nates ꝛ
ea p q̄ natura secessuȝ dimittit ꝛ posteriora respicit.
Capricornus vero genua ꝛ alia inferiora respicit.
Aquariꝰ v̊o tibias respicit. Piscis v̊o qd̄ ē vltimū
formatiōes pedū respicit ꝛ plātas Et sic breuiter
habitum est iuditium ex parte duodecim signorū.

Hic autor ostendit de aliĳs signis dicens vt ptȝ in textu Nota littera vult in tm̄ qꝫ luna existēte in talibus signis que respiciunt illa membra vt patet in littera in illis membris nō debet fieri minutio sanguinis.

Et nō opinetur aliq̄s illa ficta fore. nā fides huiꝰ
in multis experimētis valeat inueniri. noscat ergo
experimētū quiuis qꝫ malū ꝛ venenosū est tangere
illud mēbruȝ luna existente in tali signo illius mē
bri Et causa istius est nā luna auget humiditatem

quod experiẗ ad sensum. ꝙ si carnes recentes po-
nantur de nocte ad radios lune tunc generantur
vermes in carnibus Et illud non semper apparet
eodem modo Sed precipue in speciali statu lune.

¶ Hic autor cõfirmat dicta sua ꝑ experimēta Nota si carnes in pleni-
tudine lune ponerenẗ ad radios lune tũc cõuerterenẗ in vermes ⁊ tũc ma
gis ꝙ̄ in alio tꝑe qꝛ tũc luna ē multũ hũida Et ideo d̄t autor in spēali statu
lune Ex hoc ptꝫ si aliq̄s vulnerat⁹ ponereẗ ad radios lũe. hoc noceret sibi
qꝛ lũa augmētat hũiditates ⁊ sic hũiditas nimis fiet intēsa. Sꝫ si poniẗ ad
radios solis nõ est nociuũ. qꝛ radij solis faciũt hũiditatē exalare Et sic ex
istis ptꝫ ꝙ sꝑ in plenilunio mēsis maioraẗ hũiditas scꝫ cerebrũ medulla. et
mēstruũ. Et ido tũc difficile ē studere ꝓpẗ hũiditatē cerebri nimis intēsam

Ut illud sane intelligatur aduertendũ ꝙ quattuor
sunt status lune scd̃m albertũ in tractatu de statu
solis ⁊ lune Luna v̉o in ꝑma ei⁹ incēsiõe est calida
et humida vsqꝫquo est semiplena post hoc tunc di
citur calida et sicca quousqꝫ fit plena deinde est fri
gida vsqꝫ ad semiplena in decremento. Ultimo ve
ro est frigida usqꝫ soli adiungitur Et in hoc statu
maxime humectat humida putrefaciendo ideoqꝫ
cum luna augeat in om̄ibus membris humidita tē
tunc ledere membrũ cum ferro est idez ꝙ grauiter
vulnerare quia malũ est humiditatē addere hũidi
tati Et sic per consequens augmentaẗ nocumentũ

Hic cõfirmat dictũ suũ. Nota prima quadra correspõdet aeri qui est
calidus et hũidus ꝛ qui generant in ista quadra fiunt sanguinei. Scđa est
sil'is igni calido et sicco et tunc in illo signo generant colerici. Tertia cor-
respõdet terre q̃ est frigida et sicca et tunc nascunt melãcolici. Quarta q̃-
dra corñdet aque que est hũida et frigidã. et tunc nascunt flegmatici. Et
scđm hoc dicunt aliqui ꝙ si carnes ponerent ad radios lune cum fuerit in
quarta quadra tũc cicius cõuerterent in vermes q̃ in plenilunio q̃a tunc
maxime est luna hũida ꝛ vigorosa. Nota si aliq̃s voluerit in quarta qua-
dra. tunc nõ debet trahere sanguinẽ nec vulnerari in cerebro. Ratio q̃a ꝑ
illã vulneratiõez hũiditas augmẽtaret nimis ꝛ iđo fieret nociuũ in mẽbro

SCiatis atqꝫ socij mei q̃uis quedam mulieres
cãm rei huiꝰ occultãt. viri ignorãt. tñ quedã
mulieres bene effectũ cognoscunt. Et plura mala
ex isto operant vt cũ vir est in coitu cũ eis. accidit
qñqꝫ viris magna lesio ꝛ grauis infectio ex infecti-
one mẽbri virilis per ferruꝫ appositũ ꝑ eas. prout
quedam mulieres vel meretrices docte sunt in illa
nequicia. et in alijs similibus Et si phas esset dice-
re hic quedã ascriberẽ. Sed qꝛ ꝓpriũ meũ creatorẽ
timeo iõ de illis occultis ad pñs nihil mãifestabo.

Hic ponit quedã notabilia Nota ꝙ quedã mulieres sunt caute ꝛ astu-
te ꝛ accipiũt ferrũ et apponũt vulue. et illud ferrũ maxie ledit virgã virilẽ
in coitu. Sꝫ vir nõ ꝑcipit ꝓpter nimiã delectationẽ ꝛ dulcedinẽ vulue po-
stea tñ sentit. ideo maxie cauendũ est ne fiat coitus cũ mẽstruosis mulieri-
ribus. qꝛ exinde hõ posset incidere leprã. Et qñqꝫ magnũ infirmitatẽ. q̃a
vene trãseunt a singulis mẽbris ad testiculos. ideo testiculis lesis cito põt
ledi totũ corpus. Vñ dicit dyasidus si mulierẽ mẽstruosam scięter accesse-
ris totũ corpus tuũ infectũ erit et multũ debilitaris. ꝙ vix infra mẽsem ve-
rũ colorẽ et fortitudinẽ re habebis Et sicut liquidũ vestimẽtis tuis ad he-
ret sic ille fetor om̃ino interiora hoīs corrũpit. Dicit em̃ venerabilis ypo-
cras de naturis hoim/mulierẽ mẽstruosam nõ accedas. qꝛ ex isto fetore aer
corrumpitur Et omnia interiora homis confundunt. Nota autor timet
deum scribendo secreta vsqꝫ ad vltimum ne aliquis expertus forte maluꝫ
operetur per illa secreta.

Item de quarto statu lune ꝑcipue possumꝰ effectū declarare predictū alio experimēto qđ sumit̄ ex eo q̄ radij lune de nocte subintrātes fenestras ⁊ ꝑue-niētes ad caput dormiētis faciūt dolorē capitis et fluxum reumatis et causa huius dicta est prius.

¶ Itē causa huiꝰ ē q: tūc luna est multū hūida. ⁊ q: reuma causat̄ ex sup-fluitate hūiditatis ideo facit catharrū et q: hūiditas lune ꝑturbat hūidi-tatē cerebri ⁊ augmētat ip̄m gr̄a huiꝰ augmētatiōis fit fluxus per nares. Et si tunc illi radij inuenirent vulneratū vsq; ad mortem lederent ipsum ideo vulnerati preseruandi sunt a radijs lune.

Post hoc vero ad influencias planetarum quos antiqui vocauerunt deos nature sup hominem ex parte corporis et anime nunc reuertantur.

¶ Postq̄ꝫ vero autor ostēdit quō ꝑ planetas hꝫ formari fetus. Hic ostēdit quō isti planete se hn̄t ad fetū ex ꝑte aīe vel corꝑis vel simul. Nota plane-te bn̄ dicunt̄ dij nature. Ratio q: natura regit̄ ab ip̄is sicut regnū a rege. Vn̄ totus ille mūdus ꝯtiguus est supiorībꝰ latiōibꝰ vt tota v̄tus eiꝰ inde gubernet̄. Sꝫ dicit si planete sūt dij nature q̄d tūc facit celū stellatū. Dicit̄ hoc est cā v̄lis nature ⁊ vniformis. Sꝫ planete diuersificāt effectū s̄m eoꝝ motū. Vn̄ planeta d̄r a planos grece q̄ est planū siue error latiē nō q̄ in se errēt. Sed q̄ ex eoꝝ motibus fiūt diuersi errores in mūdo ⁊ in effectibus.

Saturnus q̄ est superior obscurior ⁊ grauior et tardior alijs, facit natū qui sub eo nascitur fuscuꝫ in calore. ex parte corporis, et plenū in capil lis nigris et duris et caput turbidū et bn̄ barbatū Et talis hō ꝯtinet subtile pectus ⁊ habet scissuras in calcaneis figuraliter, Et hoc scd̄m dispositiōem

figuralē.scd̄m vero aīam,natus est multū perfidꝰ et maliciosus.iratꝰ.tristis.et malgnus vite. fetida diligens,et turbida vestimēta semꝑ induēs Et nō est luxuriosus ⁊ in pluribꝰ venerē minime diligēs ymmo naturaliter abhorret. Unde breuiter notā dum.ꝙ secundū intentionē magistri mei in illa sci encia experti, quicunqꝫ natus fuerit sub saturno habet omnes malas dispositiones corporis.

¶ Hic autor ꝓsequit̃ intentū suū Et diuidit̃ in septem ꝑtes scd̄m ꝙ sep tem sunt planete Nota saturnꝰ est supm̄us planeta ⁊ cōplet cursum suuꝫ in triginta annis.ita ꝙ redit ad idē puuctū zodiaci a quo incepit. Et s̄m ptholomeū saturnꝰ maxīe distat a terra ita ꝙ ad illā ꝑtem vbi tāgit sperā iouis hō venıret in quinqꝫ milibꝰ annoꝝ ⁊ in septingētis ⁊ triginta q̄ttuor annoꝝ ⁊ in septuaginta septē septimanis ⁊ in tribꝰ diebꝰ supposito ꝙ dieta hoīs esset decē miliaria. Et s̄m astro.saturnꝰ est tāte magnitudinis ꝙ est nonagesies maior q̄ꝫ tota terre Itē dictū est ꝙ saturnus est multū tardus in motu suo,hoc debet sic intelli ꝙ in tp̄e lōgiori ꝯplet cursum suū Vn̄ sa turnus est bn̄ tricesies maior sole q̄tū ad suū orbem. Et sicut sol ꝑtransit suū orbē motu ꝓprio ꝑ zodiaci signa in vno anno sic saturnꝰ in triginta an nis.et sic mouet̃ ita velociter sicut sol.vbi igit̃ duo hoīes ambularēt vnꝰ per triginta dies ambularet.triginta miliaria alter vnū miliare.tūc alter qui ambulat vnuꝫ miliare.ambulat cicius nō tn̄ velocıꝰ est in motu eo ꝙ in equali tp̄e ꝑtransit de spacio s̄m pħm.vi.pħicoꝝ.Item nota lr̄a dt̄ sa turnus facit natū suū fuscum in colore.ratio q̄a saturnꝰ est silis terre q̄a est frigidus et siccus ⁊ obscurus ⁊ niger et virtualiter facit natū obscurū. Item facit natū cū pilis duris q̄a est terrestris ꝯplexiōis ⁊ ideo in fetu hu mores malos causat et grossos a quibꝰ generant̃ grossi pili. Item natus eiꝰ est tristis.qꝛ melācolice ꝯplexiōis est v̄tualiter ⁊ melācolici sunt tristes quia semꝑ inclināt se ad terrā Item natus eiꝰ est piger in incessu qꝛ ip̄e est grauis sicut terra ⁊ ideo difficulter mobilis Item ip̄e nō appetit coitū q̄a siccus est et si vult appetere posset vti calidis et bn̄ cōditis et humidis ci barijs. Item ille natus semꝑ est inuidus et ꝑfidus quia nullū habet gau dium sed semper melancolisat et eius somnia vt in plurimū fiunt vera si cut videmus in fatuis qui dicunt semꝑ futura per fantasias et per melan colias. Et ipse semꝑ cupit sedere.in angulo solitarie. Item nota littera di cit ꝙ ipse habet scissuras in calcaneis id est diuisiōes in pedibus circa an teriorem partem sicut equi et calcanea est vna pars pedis in anteriori par te qua primo terram calcamus.

Iuppiter vero stella regalis existẽs. pia dulcis ⁊ lucida ⁊ tꝑata et ꝓspera. facit natū optimū quia nato sub eo dat faciem pulchram. oculos claros ⁊ barbā rotūdā Et figurat duos dẽtes superiores magnos ⁊ eq̄liter diuisos Et dat hoī colorem albū rubeo ꝑmixtū in facie. ⁊ facit longos capillos Scd̄m animā facit natū bonū et honestum diligentẽ. legez et honestatẽ Diligensqꝫ vestimenta pulchra et ornata Et delectabiles sapores et odores ei placent et erit misericors largus . iocundus et virtuosus et verax in sermonibus.

¶ Ponit de scd̄o planeta qui dicit̃ iuppiter. vñ ꝭm astro. ꝯplet cursuz suū in. xij. annis ita ꝙ sub quolibet signo morat̃ ad vnū annum. vñ ꝭm Astro. iuppiter multū distat a terra q: ad illā partẽ vbi est ꝓpinquior terre hō veniret de terra in duob⁹ milibus annorū ⁊ in quingẽtis viginti sex ⁊ q̄ttuor septimanis ⁊ quinqꝫ dieb⁹ supposito ꝙ dieta esset decem miliaria Et magnitudo ei⁹ est talis ꝙ quiquagesies est maior terra Item iuppiter dicit̃ fuisse ille qui expulit patrẽ a regno sic iuppiter expulit operationẽ saturni q: sibi cōtrarius est ꝑ totū vt ptz in lr̃a q: ꝭm astro. qui nascit̃ sub ioue perueniet ad mlt̃os honores q: facit faciẽ pulchrā et facies est nobilior ꝑs corporis vñ plus laborat in facie q̄ in alijs Et facit hōlem albū rubedine ꝑmixtū q: ille color est pulchrior inter alios. q̄a ille color est sanguine⁹ Itez facit barbā rotūdā q: rotūda figura est nobilissima figura ex scd̄o celi. Et ideo caput rotundū est diligendū. ideo nutrices solent cōprimere et rotundare capita puerorū. Itẽ facit capillos lōgos quia facit natū calidū et humidū. humidū eñ cū calore est causa lōgitudinis capillorꝫ. vñ est sup̄fluuz et residuū hūiditatis que exijt ꝑ poros Et id̄o qui hñt lōgas barbas sunt bone cōplexiōis et qui cito barbescūt est signū bone cōplexionis . Itẽ natus sub ioue est bon⁹ scd̄m animā fidelis et addiscẽs. coitū appetẽs et bñ potens gracia caloris. potens in opere gracia humiditatis sufficientis et bene capit singula que audit quia habet spiritus abiles et satis humidos Vnde humidus bene recipit quia calidus ideo bene delectatur . et non semper est piger.

MArs cum sit intēperatus in caliditate ⁊ sicci tate Jdeo scđm hoc facit natū suū rubei colo ris cum quadā adustione et obscuritate sicut vide tur in istis qui passi sunt a sole et habet paruos ca pillos. et paruos oculos. et totū corpus habet cur uum et grossum aliqualiter Scđm aīam vero fal lax. incōstans. inuerecūdus. irascibilis. ꝓditor. dis cordias et bella seminans et superbus erit.

¶ Hic exequit̃ de tertio planeta qui dicit̃ mars. Nota mars mouet̃ sub zodiaco taliter ꝙ cōplet cursum in duobꝰ annis Et distat a terra qꝫ ad il lam ꝑtem vbi ꝓpinquior est terre hō veniret in quadringētis ⁊ nonaginta annis ⁊ vndecim septimanis ⁊ quattuor diebꝰ supposito ꝙ dieta hoīs esset nouem miliaria. Jtē nota caliditas ⁊ siccitas sunt cause adustiōis crispi tudinis criniū. Vñ nati sub marte habēt paucos crines cā siccitatis ⁊ ha bent curuos seu crispos crines grã adustiōis. Jtem natus sub marte est rubei coloris cū quadā obscuritate. qꝛ color rubeus causat̃ ex eo. qꝛ calidū agit in humidū et cōsumendo humidū relinquit siccū sicut videmꝰ qñ de bent ꝯburi lateres ꝙ ante ꝯbustionē nō sunt rubei sed postea ꝯsumpto hu mido efficiunt̃ rubei. et isti nati hñt paruos oculos qꝛ oculus est membrū in quo viget hūiditas. quia oculus est aquee nature ab extrinseco. scđo de aīa qđ patet si ledit̃ exit aqua. et qꝛ mars est siccus ⁊ calidus ideo nō pōt formare magnos et pulchros oculos. Jtē mars inducit bella. qꝛ exsiccat cerebrū et cor incēdit et sic ira generat̃. Jra enī est accēsio sanguinis circa cor. et ideo mars ꝯm antiquos vocabat̃ deus belli. Jtem est fallax. Ratio qꝛ est siccus ⁊ calidus ⁊ sic vt semꝑ est iracūdus et cogitat de malo vt fallat homines ⁊ prodat. Jtem satis appetit coitum. quia calidus et modicum potest quia caret humiditate.

SOl quidē regalis stella existēs. lumē mūdi et oculus vocatꝰ. natū sub eo facit carnosū ⁊ fa ciē pulchrā ⁊ oculos magnos colorē albū cū q̃dam rubedine bene barbatum et longos capillos. Se

cundum vero animam vt quidam scribunt faciet ypocritā et malū. Justum in exteriori parte apparentē. ⁊ facit homīes multū scientes scd̄m aliquos Sed inueni aliquos dicētes q̄ natus sub illo planeta est regularis religiosus ꝓfunde deuotiōis sapiens diues diligens bonos et deprimēs malos.

¶ Hic exequit̄ de quarto planeta que dicit̄ sol. vnde sol de sui natura est planeta calidus. ⁊ ideo influit nato sub eo calorē et est siccus sed tēperate. Vn̄ dicit si sol est siccus sicut mars. quare nō influūt eundē effectū. Dōm q̄ ꝓpter caliditatē ⁊ siccitatē sol ṽtualiter est hūidus et nō siccus nisi temperate. Itē sol s̄m antiquos dicebat̄ pater deoꝝ q̄ꝛ sol est principiū vite influens esse omī rei ita q̄ sol ꝑ eiꝰ accessum ⁊ emisperiū nostrū influit fertilitatē ⁊ generationē Et post eiꝰ recessum videmꝰ arescere ⁊ terrā fieri aridā et in quolibet signo manet. xl. dies ⁊ cursum suū ꝑficit in vno anno et s̄m Astro. tm̄ distat a terra q̄ ad illā ꝑtem vbi ꝓpinquior est terre hō veniret quadringētis ⁊ triginta annis ⁊. xxv. septimanis ⁊ in. ij. diebꝰ ita q̄ dieta eius esset decē miliaria. Item nota natus sub sole est ypocrita. Et dicit̄ ab ypos q̄ est sub ⁊ crisis aurū quasi hn̄s malū sub auro. i. sub bona apparentia. vn̄ꝰ Omīs ypocrita facetenꝰ est heremita. Item calefacit tēperate et ideo facit natū sub eo magne sapiētie q̄ꝛ calor saltem moderatꝰ est instrumentū operādi ṽtutes anime. q̄ꝛ calor facit spūs agiles ⁊ promptos. Item dicūt quidā natus sub sole libenter vult mitti in exiliuꝫ quia amabilis est et iocundus ideo deus ꝓuidet sibi de omī bono Item sol s̄m ptholomeū in centilogio suo dicitur esse occies maior q̄ꝫ tota terra.

Venus est stella beniuola ⁊ facit natū pulchrū et maxime oculis et supciliīs carnosum ⁊ medie stature Scd̄m aīaꝫ ṽo blādū ⁊ eloquentē musicalia diligētē voluptatē gaudiū et coreā desiderātē

¶ Prosequit̄ de quinto planeta qui dicit̄ venus Vn̄ venus habet plura noīa. Primo dicit̄ venus a venerādo. quia antiqui venerabāt causa amoris Etiā dicit̄ lucifer quia de mane lucem indicat qn̄ precedit solem sequēdo de vespere dicit̄ vesperus q̄a vesperū de nocte inducit soleꝫ sequendo et habet colorē candentē ⁊ fulgentē inter sydera. Et cōplet cursum suum in tricentis triginta octo diebus Et venus est in magnitudine sicut est vna

pars de viginti octo terre. Et scdm astro. tm̄ distat a terra q̄ ad illam ptem vbi ꝓpinquior est terre hō veniret in quinquaginta et. xv. annis. ꝛ. xix. septimanis ꝛ in vno die supposito q̄ dieta hoīs esset decem miliaria Nota venus est calidus ꝛ humid⁹ ṽtualiter. Et facit natū luxuriosuz ꝛ pulchrum qa gr̄a caloris facit natū appetere. et gracia hūiditatis facit ipm̄ posse in opere. Item facit natū diligere musicalia. qa musica est vtilis ꝓ cantantibus ꝛ ipis amatorib⁹. Item nota supposito q̄ venus et saturnus venirēt scdm oppositū tunc natus illo tp̄e nō esset om̄ino malus nec om̄ino bonus sed medio modo se haberet qui bonitas veneris retardat maliciā saturni quantū potest et sic facit ibi medium.

Mercurius quem astronimi. solem assequi asserunt et ex radijs cōtrahi facit natū cum corpore gracili satis parue psone et barbe pulchre Et raro scdm animā erit sapiens et subtilis phiam diligens Et studium boni moris et perfecti sermonis et ille multos acquirit amicos. et tamē nō multum fortunatus in eo bona consilia vigent verax ꝛ nullius perfidie expers modulationibus. et nō cōscius id est socius in malo.

¶ Hic exequit de sexto planeta qui dicit mercurius. Nota mercurius semp gradit cū sole et nunq̄ ab eo distat amplius q̄. xxx. gradib⁹ Colorē hz radientē raro ꝓter vicinitatē solis videt Sed tn̄ in meridie mediante speculo videt. Et dr̄ mercurius q̄si mercator kyrios. id est dn̄s qr mercatores indigēt eloquētia. vn̄ mercurius dr̄ deus eloquētie Et cōplet cursuz suū in tricētis. xxx. octo dieb⁹. ita q̄ modicū minus q̄ p annū Et q̄titas mercurij est sicut vna pars de viginti duob⁹ mille ptibus terre. ideo est stella parua Et littera dicit q̄ mercuri⁹ cōtrahitur a radijs solis. Ratio qa continue moueт sub sole Et ꝓter radios solis videri nō potest quia lumen magis obfuscat minus. Item natus ille diligit phiam qui facit natū subtilem scdm animā ideo diligit subtilia.

Una cū sit velocioris mot⁹. facit natū vagabundū verus sermōe. nullius seruicij. ꝛ facit

iocundum. et mediocris stature et habet oculos inequales scilicet vnum maiorem reliquo.

¶ Exequit de vna planeta qui dicit luna. Nota septimo et vltimo q luna est velocissimi motus, ideo natus ei9 est vagus et nō pōt durari in aliquo officio vel seruicio. Et q luna est velocissimi motus ptz qa qto planeta est inferior tanto citi9 mouet. vnde luna cōplet cursum suū in .xxviij. dieb9 et .viij. horis. Et sm astro. tm̄ distat a terra q ad illā ptem vbi ppinquior est terre scz ad pcauū orbis lune hō veniret in .xij. annis ꝛ .lviij. septimanis ꝛ in .iiij. dieb9 supposito q ei9 dieta esset decē miliaria. Nota luna habet lumē a sole. et qñ currit cū sole tūc hz vigorem ꝛ vim ꝛ in nouilunio et in quolibet mense anni cōplet cursuz suū p .xij. signa Et in luna videmus maculā ꝛ cā hui9 est p cōmētato. ij. celi, q luna est corp9 rotundū ꝛ rarū in medio dēsum ex nubib9. Et ideo in medio pter raritatē nō pōt reuerberare lumē solis ꝛ sic penetrat ipm in medio ꝛ per hoc patet obscuritas.

Et sciēdū q oēs stelle ꝛ alie ptes corpis supcelestis illa officia diuinit9 ipa exequūt. ꝛ sp sic agūt et sic nūq impediunt qtū est ex pte earū Et idō si phas est dicere sm ea q dicta sūt oīa inferiora a supioribus regūt Et idō illa q diuino sacrificio ꝛ bestiali ymolatiōe ꝛ alia q in mūdo fiunt nō pñt remoueri ab actiōe corporū supcelestiū danciū vitā ꝛ mortē.

¶ Hic autor ponit vnū notabile, q prius dictū est q natus sub diuersis planetis diuersimode regit et producit. Diceret aliqs quō vel quare sūt stelle sic ordinate Rñdet q per naturā diuinā talis ordinatio facta est. de9 eñ sic ordinauit domū planetar Et illud patet .xij. metha. Et autor vult q p ieiuniū ꝛ sacrificiū bestiarū nō pōt remoueri cursus planetarū. Illud pbatur q motus celi est semp vniformis ꝛ regularis. vij. phicor et semp inuariabilis sicut ergo deus instituit ab eterno ita ineternū pmanebit Sz cōtra sapiens dñabit astris sm theologos hoc nō esset nisi cursus planetarū et effectus impediri possent Rñdet q sapiēs sic dominabit astris qñ videret aliquē effectū saturni de necessitate vt frigiditatē tunc posset se cauere a nocumēto. Sz nō pōt impedire eor effectū simpliciter qm̄ ita semper agunt Et autor loquit naturaliter cū dicit q per sacrificia nō pōt remoueri effectus planetarum quia theologus tenet ibi oppositam partem quia omnia sunt in potentia dei, et deus agit libere et sepe exaudit preces cristi fidelium.

Ex istis verbis sic forte aliquis crederet me sic capere in duplici peccato. primo quidem quia statim visa superficie verborū concluderet ex eis verbaliter omnia de necessitate venire Scdo q me occulto rem christiane fidei vellet dicere Et necessariuʒ de istis narratum sit planetis.

¶ Hic respōdet cuidā questiōi qa aliquis posset ↄtradicere autori. Ex dictis nāqʒ ptʒ q oīa ex necessitate veniūt q2 eueniūt iuxta cursum planetarū ⁊ ille nō pōt impediri ꝭm autorē. Vñ oīa bene eueniūt ex necessitate conditionata sed nō absolute hoc sic declarat quia q̄libet effect9 de necessitate euenit stantib9 suis causis necessarijs et in fallibilib9 vt d̄t aresto. ij. poste. sed quia materia qn̄qʒ est indisposita ideo eoꝝ effectus impediūtur per accidēs. Et sic supposito q virtus planetaꝝ in tali signo inducat mortem tn̄ adhuc hō p remedia pōt ↄseruari ⁊ sic materia nō est disposita seu apta ad talē effectū Ex illo pʒ error illoꝝ q̄ dicūt oīa euenire de necessitate cōstellatiōis.

VT autē ea que dicta sunt lucidiori lumine cognoscant et quō aliqn̄ plures fetus fiūt in matrice et plures pueri nascuntur sicut duo gemelli. oportunū est modicū transgredi ab hoīs generatione et videndū est de generatione aīaliū imperfectorū que non ex semine sed putrefactione generantur Iuxta qō notandū q illa aīalia impfecta sicut musce ⁊ similia nō sp eodē mō generant sicut pfecta aīalia. q2 per decisionē seminis nō generant sed ex putrefactis videlicet. iiij. methaphisice.

Capitulū tertiū in quo autor agit de formatōe fetus in vtero. Et pmo facit digressionē a pposito Scđo regredit ad ppositū ibi rn̄deam⁹ ꝛ dicamus. Nota ꝙ musce ꝛ arance sunt aīalia impfecta. ꝛ nō sunt de pfectione vniuersi. sed tn̄ nō om̄ino frustra ideo quia natura ipa ordinauit vt malos hūores absorbeāt ꝛ vt eo melius hoīes a malis hūoribus pseruerent.

Utrum aūt aīalia eadem ex semine vel sine semine generantur Dubitatio est apud plures. opinio enī Auicenne ca. et libro de diluuijs est. ꝙ eadē aīalia ex semine et sine semine generant Et hoc declarat q̄a diluuiū fieri potest adhuc vniuersale et in tale diluuio corrumpentur omnes viuentes corruptis aūt om̄ibus viuentibus fierent influentie in cadauera mortuorū que putrefacta sunt. ꝛ tūc ex v̄tute celi generabunt eadē que prius fuerunt. ita ꝙ vnū generatur ex putrefactis ꝛ aliud p decisionē semīs generabit sibi simile in specie. ꝛ declarat possibilitatem huius ad sensum dicens Capiantur capilli mulieris menstruose ꝛ ponantur sub terra pingui vbi iacuit fimus tpe hyemali tūc in vere siue estate valescente calore solis generatur serpens lōgus et fortis Ille vltra generabit sibi similē in specie per decisionē semīs Et illō idē declarat in mure qr tpe

suo quidaʒ mus erit factus ex putrefactione et ille vltra sibi gn̄abit silr̄eʒ in spē ex semīe. plures rōes possunt adduci Sʒ sufficit qd̄ dictū est q̄a longum esset omnia incidencia ad illā materiam enarrare.

¶ Hic mouet dubiū et hoc sic ꝙ ponit opinionē Auicen. et rōnes eius scd̄o reprobat illā ibi breuiter ad illā ⁊c̄. Nota auicenna posuit datorē formarū vt ptʒ per cōmenta. xij. metha. ⁊. iiij. Et ideo ipē vltra posuit ꝙ virtus diuina mediāte motu planetarū possit infundere formas. et dare esse. et tunc vltra ex putrefactiōe rebus generatis illa vltra generanꝭ sibi sil'ia sicut etiā posuit si virtus solis in terra ꝓducit plantā ꝙ ille vltra mediāte fructu et semine posset ꝓducere aliā plantā. Nota ꝙ crines mulierū mēstruosarum sunt multū humidi et grossi ⁊ venenosi et ideo si isti ponantur sub pingui terra in hyeme tunc generabunꝭ humositates ⁊ venenositates per virtutem solis et possunt verti in serpētes. et sic dicꝭ q2 basiliscus fiat artificialiter in fimo ex ouo. vnde fimus est terra pinguis arphinata humiditate repleta. Et ideo facit aliquid fructificare vn̄ in terra arida ⁊ sicca illud nō habet veritatē Item in hyeme cū fimus ab intra est humidus et calidus sufficienter. q2 frigus circūstans nō ꝑmittit calorē innatū exalare et recedere Nota mus qui generaꝭ ex putredine terre est grossior alio mure qui generatur per decisionem seminis. Et ille habet caudam maiorem et est multum venenosus. quia materia fuit putrida valde ex qua est productus Item auicenna posuit quendam vitulum cecidisse de celo quē dixit generatum fuisse in aere ex putrefactione.

Breuiter ad illā opinionē dicendū est quod nō est vera. ⁊ ratio q2 ꝯm pħm viij. pħicorū sicut aliquis hʒ ꝓpriam materiā sic ꝓprium habet agens q̄a tali materie est talis forma q2 alius est act⁹ materie et ali⁹ ē act⁹ forme vt dr. viij. metha. Et tn̄ illa aīalia hn̄t diuersas formas ⁊ materias et per ꝯn̄s diuersa agēcia ⁊ generācia habebūt Intētio em̄ pħi viij pħi. ꝙ eadem aīalia saltem ꝯm speciē possunt fieri

ex semie ꝛ sine semine. sicut sanitas qn̄qꝫ fit ab arte et qn̄qꝫ a natura. sed in hoc differt ab Auicenna qui ait ꝙ nunq̄ aīalia ꝑfecta sine semie fiant. scd̄m aūt pħm hoc nō est verum. differt etiā ab eo quia scd̄m doctrinā pħi. primo metheo. Diluuiū vl'e est impossibile apud naturā fieri. tā ꝑ ignē q̄ ꝑ aquaꝫ huius rōnem dicit albertus qꝛ diluuiū fit ex cōstellatione humectante. ideo si stellatio humectans respicit vnam partē terre tūc alia opposita terre respicit aliā partem scꝫ constellatio desiccās. Et q̄ tū vna humectat in vna ꝑte tunc alia desiccat in alia parte ideo impossibile est quod dicit auicenna.

¶ Hic aūt improbat Auicennā vel opinionem auicen. Et nō rationem cōmentatoris ꝓbando ꝙ generatū ex semine ꝛ sine semine differūt specie sic ꝙ agens est diuersum ꝛ recipiēs diuersuꝫ et tunc receptū erit diuersum scꝫ a ꝓpagatis et a putredine generatis sic est. ꝙ materia est alia scꝫ semen et putredo Item agencia sunt duplicia sicut virtus solis ꝛ stellarū cū calore. incorperato. in putrefactis ab vna parte. Et agencia a quib⁹ semina descindunt ab alia parte scꝫ in ꝓpagatis sic illi duo mures differunt specie. Et si serpēs fit et generat a crinib⁹ et vltra alius generat ꝑ decisionē seminis illi differunt specie. Nota impossibile est fieri diluuiū vniuersale quia planete nō possunt sic ꝯcurrere Sed bene fit diluuiū particulare. vt si oēs planete ꝯcurrerent in hoc frigido signo piscīū q̄a illud signū est summe frigidū ideo cōtingere posset. Diluuiū tñ generaret in vna regiōe quā illud signū respicit et sic nō pōt fieri nisi miraculose Legitur em̄ ꝙ factū fuit diluuiū vniuersale ꝓpter maliciā hoīm. de illo hic nihil ad ꝓpositū cū naturaliter loquamur Ex dictis nota ꝑ experientiā videm⁹ nos ꝙ tp̄e hyemali in vna regione plus generatur de aqua. et in alia regione opposita vbi est estas plus generatur de aere et igne scd̄m cursum planetarum.

Respondeamus et dicamus ꝙ quedaꝫ sine semine

generant̄ et causam hui⁹ generationis reddit ph̄s iiij.metha.vi.calor disgregās corpus mixtū facit p̱ hoc q̄ subtile extrahit ⁊ relinquit grossum. ⁊ nō est absolute calor Sed est v̓tus ꝯstellatiōis et celestis Et ph̄i intentio est q̄ materia ex qua aīal sine semine nascitur est aliqua hūiditas subtilis in qua quidē calor naturalis sepe agit ex p̱te celi qui dum ꝓporcionatus ē materie. in quā quidē materiā forma talis aīalis dꝫ introduci hāc hūiditatē calor celestis iā dict⁹ segregat a q̄libet p̱te grossi terrestris et f̄m intentionē ph̄i. viij.metha. hec gn̄atio est vni uoca saltē v̓tualiter nō aūt formaliter. p̱ hoc solui tur dubitatio quā quidā faciūt dicētes oīe qd̄ generat̄ vniuoce ex sibi sil'e generat̄ in specie. verū est virtualiter Circa hoc notandū q̄ ex eadē materia plura aīalia imp̱fecta nascunt̄ vt ex stercore equi nascuntur musce vespes et plura cōsimilia diuerse speciei et diuersi coloris et figure generantur.

¶ Hic soluit dubitationē et rn̄det scd̄m intentionē suam. Nota f̄m Albertū talis est modus generationis aīaliū ex putredine q̄ calor solis qn̄qꝫ pretendit̄ vsqꝫ ad materiā putridā tūc extrahit humidū subtile ab illa materia et generant̄ quedā pellicule exterius ita q̄ calor interior non p̱mittit̄

exire et tunc virtute solis ille calor qui est in materia putrida petit exitũ ⁊ impedit et ex tali motu sursuz ⁊ deorsum generat quidã spũs pulsans mediãte quo spiritu vita pducit in tali materia Et sic querit vtrũ ille spũs pulsans sit suba vel accidẽs. Dõm est q est substãtia quia mediante vtute formatiua ille spiritus agit. et quia agens nõ nisi mediãte tali virtute substantiã pducit ideo necesse est illũ spiritũ esse substantiã Et ille spiritus est corpus subtile generatũ ex subtiliori parte materie putredinis. Sed dubitatur vtrũ ille spũs sit animat⁹ vel inanimatus scz virtualiter quia educit animã viuere effectiue de illa materia putredinali Et ideo dicit Auicen. in. xij. metha. in illa digressiõe vbi improbat Auerroim platonẽ ⁊ themistiũ q ex putredine generant rane. Sed autor dicit calor solis attrahit humidũ a putredine. probo per experientiã. accipio vnũ murẽ putredinalem et ponã in locũ vbi sunt radij solares in vigore inuenio q calor solis facit exalare totam materiã muris ita q ibi nihil remanet nisi pellis. Nota generatio septimo metha. diuidit qa quedã vniuoca quedã equiuoca Equiuoca est quãdo formaliter generans et genitũ differunt specie vt si generatur mus de terra ⁊c̃. Vniuoca est quando generans et genitũ cõueniunt in specie. vt homo generat hoĩem vel equus equum. Et ex illo soluit dictũ phi. vij. metha. qñ dt om̃e quod fit a simili suo. in specie fit. verũ est de generatiõe vniuoca sed non equiuoca. Nota aĩalia generata ex putredine nõ semp habent eundem colorẽ speciem vel figurã. Ratio quia ista aĩalia differunt specie mõ quecũqz differunt specie etiam dicunt differre figura ⁊ in colore naturali quia ista cõsequuntur formam.

Causa aũt diuersitatis illorũ aĩaliũ ẽ diuisio semĩs in matrice ⁊ illd est verũ pncipaliter ĩn aĩalib⁹ pfectis Et est notãdũ q in matrice mulieris plures sunt cellule. qñ tũc semẽ decisũ a patre sic colligit. q ĩ vna quaqz cellula matricis semẽ sic recipit tũc est mod⁹ gñatiõis pluriũ fetuũ et ille mod⁹ generationis respectu aĩaliũ impfectorũ accipit sil'e ita q inest aliqd loco matricis ⁊ aliqd loco semĩs Et ideo talis hũiditas diuidit per loca eductõis fetus in putrefactis Et ideo mltiplicant talia aĩalia Et

causa sĩlitudinis taliũ aĩalium est sĩlitudo humidi educti de corpe in ptes homogenias Et diuersitas speciei talium aĩaliũ sumitur per oppositũ scilicet per humidum eductum in partes eutrogenias.

¶ Hic autor infert cãm q̃re aliqñ plures pueri nascunt̃. vñ plures sunt cause pluriũ fetuũ pticulariũ. Prima est diuisio seminis in cellulas ⁊ nõ est sufficiẽs q: exptũ est p obstitrices q̶ semel vna dña peperit massaȝ carneaȝ cõtinentẽ septuaginta figuras hoim. mõ certũ ẽ q̶ nõ sunt tot cellule matricis. Scđa causa est habũdãtia seminis ⁊ tũc diuidit̃ ⁊ spargit̃ et fiũt plures fetus. Tertia cã est q: qñ mulieres in coitu nimis mouẽt se ⁊ circũdispargit̃ semẽ et fiũt plures fetus.

Q: aũt quedã aĩalia gñata sũt lõga ⁊ stricta ⁊ q̃dã breuia. hoc ẽ ex diuersitate ꝯplexiõis. q: ex colerico calido ⁊ sicco generat̃ corpus longũ strictũ et gracile eo q̶ calor in eo multũ extendit̃. Ex flegmatico frigido ⁊ hũido generatur animal breue et latũ q: humor aque⁹ est multũ dilatabilis ⁊ frigiditas nõ multũ extẽdit ipm. Sȝ ex sanguineo calido et humido generat̃ aĩal mediũ inter lõgũ ⁊ breue ꝓpter calidũ et hũidũ tpatum Sȝ ex melancolico generatur animal strictum et breue q: frigiditas nõ pmittit ipm extendi ⁊ siccitas nõ pmittit ipm dilatari. Ex colerico aũt accidentali et adusto generat̃ aĩal longũ et valde gracile q: feruor caloris ei⁹ multũ

extenditur et siccitas mediata attenuat Et est no-
tādū q̄ coleric⁹ ē crocei coloris vt frequēci⁹ Et san
guine⁹ rubei coloris Et flegmatic⁹ albi coloris Et
quorū natura pmixta fuerit horū et q̄litas et color
necessarius pmixt⁹ erit Sic ergo ī hoc capitulo ha
bem⁹ modū gn̄atiōis aīaliū imꝑfectorū ꝛ quō plu
res fetus sil' fiunt. tā in perfectis q̄ in imperfectis
et quare aliqd̄ aīal est longum et aliquod breue.

Hic autor ōndit causam quare quedā aīalia generata sunt lōga ꝛ bre-
uia et satis patet in textu. Nota nullus hō est qui sit purus colericus vel
flegmaticus ꝛc̄ijs. Sed oīes mixti. Sꝫ vnus bene plus habet de sangui-
ne q̄ alter quia nullū est anīal in quo elemēta equaliter dominant. vt pro-
bat Auerro. pmo celi quia si hoc esset verum vbicunqꝫ poneretur com-
misceretur q̄ est impossibile.

Nunc aūt ad superius dicta de generatione et for
matiōe embriōis in vtero materno Sermonē no-
strū cōuertamus et de mō exitus dicamus. Et pri-
mo videndū est quō iste tres potētie anime. scꝫ ve-
getatiua. sensitiua et intellectiua veniūt ad materiā
fetus siue quo ordine. Juxta qd̄ notandū q̄ illud
est alterius negocij q̄ presens materia requirit qꝛ
respicit scientiā libri de anīalibus tamē aliquantu
lum de ipso breuiter tangamus aliquid.

¶ Hoc est capitulũ quartũ et est de creatiõe fetus. Et pˀmo pˀmittit quedam necessaria Vñ dicit littera quo ordine. quia inter istas potentias est ordo perfectiõis et cõmunitatis Et ideo dicit comenta. primo metha. in de erroribus q primo respiciunt et accipiunt forme vniuersales et postea minus vniuersales vsqȝ ad determinabiles ergo semper est ordo.

Sperma vero collectum in matrice mulieris augmẽtatur statim qñ infusum est ei ⁊ qñ matrix est bene clausa Sed alimentũ a potencia vegetatiua qꝛ spermate decisio a patre vel a generãte dimissa est ista potencia vegetalis Et hoc patȝ. ĳ. de anima qꝛ potẽcie vegetatiue sunt duo opera scȝ generare et alimento vti quia planta generat plantã aĩal vero animal. Unde videtur q ab illa anima fluat virtus generatiua. postea vero tpe subsequẽti ꝺm exigentiaȝ nature supaddit materie aĩa sensibilis et postea anima illius spẽi vel illiꝰ Et ille virtutes scȝ vegetatiua et sensitiua distinguunt ꝑ opatiões q̃ vltra differũt ꝑ obiecta ⁊ nõ differũt ille due potẽtie scȝ vegetatiã ⁊ sensitiua ita q sint due potẽtie distĩcte. ẽ em̃ vna ⁊ eadẽ essentia q̃uis nõ eodeȝ mõ Et hoc dt phs. xvi. de aĩalibus. embrio pˀmo viuit vita plãte. scđo vita aĩalis. tertio vita huiꝰ spẽi vel

huius Etiã addit in hoīe ṽtus intellectiua q̃ nõ ge
nerat a materia. sed a celo ⁊ est de foris infusa. vñ
est finis et pfectio oīm formarũ existẽtiũ inferius.
Jd ꝯsueuit apud medicos dici ꝙ prima vita est la-
tens ⁊ occulta media apparẽs ⁊ manifesta Vltīa
vero excellẽs et gloriosa. a prima est sensus natura
lis. a scđa sensus anīalis a quo sensus visus audi-
tus ⁊c. a tertia vero est sensus spũalis a quo inter
pretatio discretio pscrutatio et sic de aliĳs.

¶ Hic autor oñdit intentũ suũ ostendẽdo quõ iste tres potẽtie veniunt ad materiã Nota spũs ⁊ semen viri est qđdãmõ vitalis q̃ viuit vita hoīs Et qñ istud recipit in matricẽ viuã ⁊ calidã tunc operat in semīe mulieris Et virtus generatīa pmo generat pelliculã fecundiuã cui semen inuoluit ⁊ sic ꝯtinue se mouet ad semẽ mulieris ⁊ penetrat in materiã longã latam et ꝓfundã Et incipit ibi ṽtus formatiua generare spũs pulsantes ⁊ pulsatiles ⁊ in eo ꝙ generat illos spũs pusantes facit materiã viuã et formã venas et neruos in quib⁹ currũt illi spũs. vñ spũs ⁊ vene pulsatiles vel saltẽ ꝓporcionabiles ei⁹ inueniunt in arborib⁹ et plãtis et nunc materia sic viuente vita spirituũ qui vegetãt illã materiã tũc aīa sensitiua recipit in illa materia. Et tũc in hoīe materia stante sub aīa cogitatiua q̃ est vltima forma materialis p virtutẽ dei ⁊ celi. intellectus infundit ⁊ introducit. vñ loquendo tam phisice q̃ theologice intellectus nõ educit de potẽtia materie q̃ intellectus nõ est corpus nec ṽtus in corpore p cõmentatorẽ. iĳ. de anīa cõmento. v. ⁊. iiĳ. metha. Sꝫ theologice loquẽdo tũc aīa est forma substãcialis corpis humani dãs sibi esse substãciale. Sꝫ auerrois ponit ꝙ intellectus copulat nobis solũ a generatõe ⁊ p copulationẽ fantasmaticã sicut nauta naui p nauigationẽ ⁊ ponit ꝙ sit vna in hoībus oībus Et ille articulus est ab ecclīa cõdemnatus qui eñ hoc credũt saluari nõ pñt Et per hoc tenẽt potẽtissime arestotelẽ esse ꝯdẽnatũ q̃ in illa opiniõe videt mortuus fuisse ita ꝙ ad minus dubitauit sic ꝙ nõ firme credidit quēlibet hominẽ habere distinctũ intellectũ a deo creatũ sicut videt in. iĳ. ⁊ ĳ. de aīa. Nota illa forma đr educi de materia que extendit extensiõe materie ita ꝙ tota est in toto et pars in pte extensiue vt aīa sensitiua in corpe pedali pedalis ⁊ in semipedali semipedalis licet sit tota in toto ṽtualiter. Nota autor videt poni illud qđ potẽtia vegetatiua sit ꝓ aliquo tpe in materia pro quo nõ est sensitiua illud est verũ mãifeste. ita ꝙ pri⁹ manifestant opa hui⁹ potẽtie q̃ pus apparet fetũ nutriri ⁊ augmẽtari anteq̃ senciat ⁊ maneat.

Tpūs vo egressus ab vtero materno vt frequēti⁹ est in.ix.mēse q̇busdā tñ in.viij.quibusdā in.x.ꝛ q̇busdā in.xi.ꝛ nō vltra.quedā vo mulieres solēt parere in scd̄o mēse ꝛ abortie.i.naturā hoīs nō ꝓducūt sed aliq̄ materiā carneā vel lacteā. Illud aūt accidit eis ꝓpter plra vt pꝫ qꝛ materia mēstruorū corrupta est vel ꝑ nimiū motū ꝑ quē rumpit̄ matrix vel ꝓpter alia mala et ideo meretrices et docte mlieres vel helene in hac arte qñ sentiūt se impregnantes mouēt se de loco ad locū de villa ad villā et ducūt coreas ꝛ multa alia mala.ꝛ vt frequēti⁹ multū coeūt.et luctant̄ cū viris.ꝙ per motū liberētur a cōceptiōe.ꝛ cupiūt coitū vt ꝑ delectationem obliuiscant̄ doloreꝫ qui generatur ex destruxiōe fetus.

¶ Hic autor exequit̄ intentū suū de egressu fetus. Nota oīs fetus q̇ egredit̄ in nono mēse vt sepi⁹ euenit ille fet⁹ est bñ maturus ꝛ satis fortis quia nonus mensis correspondꝫ ioui. Juppiter autē est beniuolus planeta scꝫ calidus et humidus ideo est ministrator et nunctius vite.vita autē cōsistit in calido et humido. Iteꝫ autor dicit qñqꝫ in vndecīo mense fit egressus ꝛ illud non est verū.sed mulieres decipiūtur in computatiōe qꝛ qñqꝫ ꝯcipiūt vnā massaꝫ semis ꝛ post aliā quindenā impregnant̄ et tūc putāt se ꝯcepisse prius.vñ illa massa prius ꝯcepta eicit̄ ꝛ emittit̄ tp̄e vere ꝯceptiōis. Nota qñ puer p̄mo egredit̄ tūc ponit digitū ad os ex sue nature exigēcia. Rō q̇a puer exijt de matrice tanq̄ de balneo calido ꝛ tūc veniēs ad aerē sentit frigus ideo ponit digitū ad os calidū Itē qñ nascit̄ tūc sonat qꝛ patit̄ ab aere frigido Et si facit clamorē in vētre signū est ꝙ nō exijt viu⁹ qꝛ aliūde non faceret clamorē nisi a quadā lesione.

Est autem notandū ꝙ iuuenes mulieres ex timore

et ex ictu tonitrui sepe disponit̃ in cruris q̄ fetus
vitã habens morit̃. et si vitã nõ habuerit possibile
esset q̄ semẽ motu naturali a forma hoĩs destitue-
ret̃ Causa aũt hui⁹ primo accidit ex pte timoris a
quo totũ corpus immutatur ⁊ disponit̃ ad egritu
dinem et per eius aduentũ fetus leditur et exting-
uitur Scd̃o ex parte fulminis qd̃ penetrat vsq; ad
interiora et eam destruit et cõbustionẽ facit ⁊ tamẽ
nullũ signum adustiõis extra apparet ꝓpter vapo
ris illius subtilitatem Et est etiã vapor ille fortissi
mus qui etiã qñq; interficit hoĩem eo q̄ penetrat
ad membra vitalia interiora. ⁊ ꝓpter subtilitatem
non apparet adustio eo q̄ magis ledit ictu q̄ calo-
re Et tunc vt frequentius scd̃m dispositiõem natu
lem interiorẽ vbi fetus inuenit̃ dispositus et tunc
consumit totum humidũ radicale ⁊ cõplexionale
fetus ⁊ tunc fetus extinguitur. Et est sciendũ q̄ illa
nõ sunt ficta q2 sicut recitat albert⁹ de operatiõe ⁊
effectu fulminis q̄ in ictu tonitrui qñq; videt̃ con
buri calce⁹ pede illeso ⁊ ecõuerso et qñq; pili iuxta

loca libidīs mēbris illesis. ꝛ ꝙ ictus fulminis per-
tigit ad interiora ꝑ hūc modū quē dixi. fides hui⁹
est. qꝛ venenosus serpēs ꝑcussus a fulmine ꝑ pau-
cos dies vermiculat ꝛ putrescit et est serpēs a quo
tollit̄ venenū ꝑ huiusmōi impressionē. Itē signū fi
dei ē doleū ꝑcussuꝫ cui⁹ vinū stetit ꝑ aliqd̄ tp̄us nō
exeūdo. de his aūt supfluum est hic determinare.

¶ Hic autor ponit quedā notabilia. Et nota ꝙ tonitrus qn̄qꝫ ex calore solis fit scꝫ qn̄ exalatōes calide recipiunt̄ inter nubes ꝛ ibi ꝑ frigus nubiū exagitant̄ tunc scindūt nubē et ex tali forti motu fit incensio illaꝝ exalacionū et ꝑ ꝯsequēs coruscatio ideo illi peccāt qui dicunt ꝙ fiant in tercia regione aeris qꝛ fit infra nubes. et duo sunt motus tonitrui scꝫ. ictus ꝛ fulmen. mō ictus ille qn̄qꝫ scindit arbores ꝛ ille est sonus ꝛ ille nō scindit sed ictus. Sꝫ fulmen nō qꝛ est valde subtile qꝛ generat̄ ex alatione subtili ꝛ calido ꝛ illud fulmen sepe cōburit calceū pede illeso Ratio qa qn̄qꝫ fulmen ita cito recedit ꝙ pedem nō tangit. et qn̄qꝫ cōburit pedem calceo manēte illeso Ratio quia calceus est substātia porosa sicut ois pellis ideo fulmen transit per oēs poros calcei ꝛ inuenit pedē resistentē ideo illū comburit.

Sed de hijs q̄ dicta sunt intēdo quedā dubia mo-
uere quorū solutiōes ꝛ determiātiōes vobis com-
mitto Primū est vtrū possibile sit ī illo tp̄e qn̄ vir
est in coitu si effectus fulminis ꝑ oēm motū fuerit
semen receptū hora eiectionis posset recipere aliq̄
nouā impressionem per quā disponatur ad aliqd̄
aliud q̄ sua natura particularis intendat.

¶ Hic autor mouet quedā dubia et primū dubiuꝫ soluitur sicut dicit̄ ꝙ fulmen in hora eiectiōis feminis potest impedire semen a forma q̄ agens ꝑticulare intendit quia possibile est ꝙ fulmen faciat materiā venenosam

et sic facit ipsam ineptam ad generationē hoīs. ita q ex illa materia generant̄ bufones ⁊ aliȷ̄ vermes et sic patet solutio p̄mi dubiȷ̄.

Scōm dubiū vtrum in hora eiectiōis a planetis posset prohiberi ab ipso fulmine et tetigisse materiam seminis ex parte patris et matris.

Hic mouet tertiū dubiū et pōt sic solui q virtutes planetarū possent impediri a fulmine. ideo q2 planete quidā influūt vitā ⁊ esse tale hoc fulmē destruit Ulteri⁹ dubitat̄ quare hoc pocius fit in principio eiectiōis semis q tpe cōsequenti. Dicendū q tpe eiectiōis tunc semen est adhuc tenue et cito pōt impediri. Scdo dubitat̄ quia dictum est q superiora nō possunt impediri quia semp agunt naturalitur. Dicitur q bene possunt impediri in illis que sequuntur opera p̄ma illorū.

Tertium dubiū vtrum per ictum fulminis tangētem materiā vtranq; posset influere semini virtutē per quā procedit ad formam masculi. ita tamen q materia prius disposita fuerat ad femelle formam vel dispositionem et econuerso.

Mouet tertiū dubium Et soluitur sic si materia esset disposita ad formam femelle tunc per ictum fulminis in masculū disponi posset ⁊ ecōuerso. et ideo cōtingere hoc posset et ille solutiōes sunt probabiles. Et vult autor dicendo q illa dubia sunt multū occulta. ideo in littera nō soluit ea

Nunc aūt videam⁹ et dicam⁹ de fetu in quo mense habeat egressum In octauo em̄ mese raro viuit ratio q̄a om̄is fetus naturaliter tendit ad abortū in. viȷ̄. mense ⁊ incipit laborare ad egressuz ⁊ ideo cū in septimo mēse laborauit tūc debilitat⁹ ē ergo Si in octauo mēse exeat non diu viuit. Si vero in

nono mense exeat est bene sanus qꝛ requieuit par octauū mensez a laborib⁹ habitis in septimo mēse.

¶ Hic auctor exequit̃ de exitu fetus in spēali. Nota fetus in octauo mē-se male se h3 hoc ꝓbat̃ extra textū rōne qꝛ saturn⁹ tunc dominat̃ ꝛ ille cō-trarius est vite aīalis. qꝛ est frigidus ꝛ siccus Alia ratio pat3 in textu Tñ si fetus esset valde fortis et haberet amplū foramē ꝑ qđ exiret posset eua-dere ꝛ sanus exire S3 hoc raro ꝯtingit. S3 ꝙ in nono mense sanus exeat pt3 qꝛ nonus mēsis correspōdet ioui q̇ est calid⁹ ꝛ hūidus ꝛ est ꝑncipiū vite

Ubi sciendū ꝙ in quibusdā mulieribus est maior dolor q̄ꝙ in aliquibus q̇a in quibusdam accidit ꝙ fetus qñq3 pretendit manū qñq3 pedem que oīa sunt nociua et tūc obstitrices fetū diligenter retru-dunt ꝛ ex illo generat̃ magnus dolor ita ꝙ plures mulieres nisi fuerint valde fortes debilitant̃ vsq3 ad mortē. accidit qñq3 etiā in ꝑtu mulieris ꝙ corrū pit̃ vulua mulieris vsq3 ad anū ita ꝙ ista duo fora mia fiūt vnū. ꝛ tūc obstitrices discrete vtunt̃ quo-dā vngēto vngētes vuluā q̇a retrudūt matricē et sic matrix sepe ledit̃ et vulnerat̃ ideo bñ videri ne cessariū est in ꝑtu mulierū vt habeant̃ discrete mu lieres in hoc opere hac ex parte hoc autez didici a quibusdam mulieribus ꝙ quando fetus pretendit caput in exitu tunc bene valet negocium quia tunc

alia membra faciliter sequunẗ ꝛ sic fit ꝑtus levis.

